

& commissario nostro, ac decimarum pro expeditione contra immanissimos Turcas impositarum collectori salutem, & Apostolicam benedictionem. Hodie siquidem ex urgentissimis causis cunctis fidelibus non ignotis pro defensione videlicet fidei Catholicae, & Christianorum omnium adversus impios nefariosque Turcarum conatus, qui contra dominicam crucem Sathanæ erecto vexillo non modo plurimum Christianorum regna, atque dominia diripuisse, suæque tyrannidi, & impietati subiecisse gloriantur, sed adhuc fundendi Christiani sanguinis ardore æstuantes terrestrem exercitum, & navalem classem munitissimam ad invadendum undique Christianos, eosque trucidandum novissime præparant; cum ad resistendum tanto furori, & supportationem tantæ rei Romanæ Ecclesiæ non sufficiant facultates, spe concepta de misericordia nostri piissimi Redemptoris, nec non fidei, & religionis, ac devotionis ardore dilecti filii nobilis viri Gulielmi Marchionis Montisferrati, ac venerabilium fratrum nostrorum Archiepiscoporum, Episcoporum, ac dilectorum filiorum, electorum, administratorum, Abbatum, Priorum, Commendatariorum, omniumque Prælatorum, Capitulorum, & Conventuum, ac Cleri, atque ordinum quorumcumque, exemptorum, & non exemptorum per totam Italiam, ac dominia, & terras præfati Marchioni, ac aliis principibus, & potentatibus totius inclitæ nationis Italiæ tam citra, quam ultra montes suppositas unam integram decimam omnium fructuum, reddituum, ac proventuum secundum verum valorem annuum quorumcumque Patriarchalium, Cathedralium etiam, & Metropolitanarum, aliarumque Ecclesiarum, Monasteriorum, Prioratum, dignitatum, personarum, administrationum, & officiorum, aliorumque beneficiorum Ecclesiasticorum secularium, seu quorumcumque ordinum regularium etiam militantium in statibus, dominiis, & terris supradictis venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Electis, Administratoribus, Abbatibus, Prioribus, Commendatariis, Prælati, ac aliis personis Ecclesiasticis exemptis, & non exemptis huiusmodi fructus, & redditus, & proventus in eisdem Italiæ dominiis, & terris citra, & etiam intra montes consistentes habentibus, & percipientibus, ac de cetero habituris, & percepturis VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium consilio, & speciatim de præfati ducis ac quorundam aliorum principum, & potentatuum præfate inclitæ nationis Italicae beneplacito, & assensu duximus auctoritate Apostolica imponendam, prout in aliis nostris confectis literis continetur. Et quia de fraternitate tua summus in Deo fiduciam specialem sperantes, quod fidei ejusdem, atque fidelium omnium negotia solerter, & fideliter exequeris volumus ecc Datum Romæ apud S. Petrum an. sal. Dom. MCCCCLXXV. idib. apr. Pont. nostri anno IV.

*Licentia fratribus S. Francisci, ut deserviant  
Ecclesiæ S. Mariæ de Barxeto.*

MCCCCLXXVII.

**N**os Thomas de Regibus Dei, & Apostolicæ sedis gratia Aquensis Episcopus, & Comes

notum facimus, & manifestum omnibus, & singulis personis præsentibus nostras literas inspecturis, sicuti licentiam impertiti fuerimus, ac per præsentibus impertimur venerabilibus fratribus ordinis S. Francisci loci Curtismilli, quod possint, & valeant deservire Ecclesiæ S. Mariæ de Barxeto sitæ super finibus dicti loci Curtismilli citra Uxonum nostræ Aquensis Diocesis, & ibi divina officia celebrare, & ministrare possint, & quod possint, & valeant quæstum facere in & super totam nostram Diocesim . . . . ideo commendamus ipsos fratres omnibus Clericis, & Laicis . . . . ut intuitu Dei, & Beatæ Virginis Mariæ, sanctique Guidonis patroni nostri, ut fratres ipsos gratiose, & benigne tractetis ecc. Datum Aquis in Episcopali palatio IX. septembris MCCCCLXXVII.

*Edictum convocationis synodi, ac promulgationis  
Indulgentiæ plenariæ in Ecclesia Cathedrali.*

MCCCCLXXVII.

388

**U**niversis, & singulis Ecclesiarum Prælati, Rectoribus, & Ministris per Civitatem, & Diocesim nostram Aquensem constitutis salutem in Domino sempiternam. Quia ex nobis injuncto officio pastoralis pro nonnullis rebus concernentibus honorem nostrum, atque utilitatem nostræ mensæ Episcopalis Aquensis, vestrumque omnium, & totius Cleri nostra in Diocesi existentis synodum nos facere oportet, & vestrum omnium habere præsentiam, igitur semper vigilantes ad ea, quæ ad nostrum honorem, & commodum, vestrumque, ac totius Cleri fore conspiciamus opportuna, dictam Synodum facere, & vestram personam habere intendentes harum serie literarum vos requirimus, & monemus, ac hortamur in Domino, & vobis omnibus sub excommunicationis poena trina Canonica monitione præmissa præcipimus mandantes, quatenus in vigilia S. Francisci die 3. octobris vos, & singulos ad nos in aula nostri Episcopalis palatii Aquensis transferatis audituri, quæ vobis proponere, & ordinare volumus. Vos insuper monemus, ut in Ecclesiis vestris infra missarum solemnias cum major aderit populi multitudo annuncietis populo vestro concessam esse Indulgentiam plenariam ad hanc civitatem Aquensem, & in nostra Cathedrali Ecclesia, quæ Indulgentia inchoabitur in Vesperis dictæ vigiliæ S. Francisci, & durabit per dies XV. sequentes, ubi etiam aderit, qui facultatem habeat dispensandi super votis, & super IV. gradu simplici, sive mixto tertio, & quarto, & super irregularitatibus, & absolvendi simoniaca labe detentos, & excommunicationis sententia quomodolibet innodatos, & etiam publice usurarios, & cum illis componendi, prout videre poteritis ex aliis literis nostris super hoc editis, dictum populum hortantes, ut ad consequendam Indulgentiam plenariam ad hanc Civitatem accedant. Datum Aquis in nostro Episcopali palatio die X. septembris MCCCCLXXVII.